DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

CHLOROSI,

Von der Jungfern Kranckheit.

QVAM

FAVENTE SUMMO NUMINE

EX AVTORITATE MAGNIFICI RECTORIS,

D. VVOLFERDI SENGUERDII,

L. A. M. Phil. & J. U. Doct. illiusque in Illustri Academia Lugd. Batav. Prof. Ordinarii, Celeberrimi &c.

NEC NON

Amplissimi Senatûs Academici unanimi Consensu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto:*

PRO GRADU DOCTORIS

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis, ritè & legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

CAROLVS CHRISTIANUS XYLANDER,

Schleusinga-Hennebergicus.

Ad diem 28. Septembr. 1691. horis locoque consuetis.

ANNO MDCIV.

VIRO
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, ATQUE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
JOHANNI HADRIANO SLEVOGTIO,
Doctori perquam Celebri,
Ut & Med. Duc. Sax. Provinc. Civitatisque Jenensis Physico Spectatissimo, nec non Practico felicissimo,

Patrono & Præceptori meo maxime venerando,

Ob singularem favorem, amorem, atque fidelem informationem, quibus per quinque fere annos usus sum,

grati animi ergo

Si non qua decuit, saltem qua potuit reverentia cum voto omnimodæ prosperitatis,

Hanc Disputationem sacram facio

CAROLUS CHRISTIANUS XYLANDER

Q. D. B. V.

PRÆLOQVIUM.

Quamvis utriusque sexus organa, quibus & individui sustentationi & speciei conservationi velificantur, egregia & numeris omnibus à Sapientissimo illo Architecto, DEO T.O. Maximo absoluta facta sint, præstant tamen fœminea virilibus, eaque tam nobilitate artus, quam elegantia conformationis, coloris nidore, motusque volubilitate multum antecellunt: ut proinde puella non solum ob mutuum adjutorium sobolisque habendæ desiderium, sed propter eximiam potius bonitatem juvenes in sui amorem rapere soleant. Quæ cum ita se habeant, nemo, ut spero, vitio mihi vertet, quod mulierum magis quam virorum rationem habens, in præsente Dissertatione Inaugurali illud affectum genus excutiendum elegerim, quod præ reliquis earum pulchritudini insidiatur, vultusque gratiam deformare solet. Cui conatui ut Summus Archiater Clementer benedicat, est quod devota mente precor.

CAPUT I.

§. I.

Si monente Pergameno, ἐπὶ πάντων ζητουμένων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνειν τοὔνομα, non abs re facere videbimur, si, quæ nominis præsentis affectus rationem, ejusque variam acceptionem concernunt, in frontispicio hujus exercitii exponere conabimur.

§. II. Antiquissimum est χλωρώσεως nomen, ab ipso artis Principe Hippocrate, in forum Medicum productum, quod sive ἀπὸ χλόης herba, sive χλωροῦ, colore viridi luteo, qualis in recenter germinantibus herbis visitur, deducatur, haud obscure fœdum illum faciei colorem, quo ægrotantes subinde afficiuntur, denotat, & hoc pacto morbus totus ab hoc unico symptomate mutatæ qualitatis nomen accepit. In quo sensu etiam Icterus albus, & apud Anglos *the green sicknesß* vocatur; ut & cutis deturpatio & livoris cujusdam præsentia, nec non inamœna colorum mixtura indicetur. Aliis fœdus virginum color audit, cui χρὼς λαμπρὸς cutis nitida opponitur, ut non tantum recessus à statu natutali, sed etiam subjectum hujus passionis, quod frequentissime virgines viro maturæ & viduæ juniores constituere solent, innuatur. Qui febrem albam & amatoriam appellant, ac tritum Nasonianum versum,

Palleat omnis amans, color hic est aptus amanti,

huc trahunt, improprie loquuntur, unde non iis ulterius inhærere volumus. Apud Germanos die Jungfer Kranckheit die bleiche Sucht/der Pips/huc loci, Vrpsters/*of* Maagde Ziekten dicitur.

§. III. Prout modo ad causam, modo ad phœnomena, in ægrotantibus frequentissime occurrentia, respectus habetur, χλώρωσις ab aliis per cachexiam muliebrem definitur, ipsique utplurimum mensium obstructio jungitur, & hoc pacto ad morbos intemperiei atque symptomata actionum depravatarum excretorumque refertur; Ab aliis inter symptomata mutatarum qualitatum numeratur, & juxta ductum Jonstonii per conversionem coloris naturalis in corpore,

pore, & potiſſimum in facie in vireſcentem, lividum, pallidum, à nutritione depravata & humorum crudorum copia provenientem, & varie ſymptomata, naturalem, vitalem & animalem facultatem concernentia, inducentem deſcribunt.

§. IV. Eſt enim præſens affectus non morbus aut ſymptoma ſimplex ſed complexus eorum, cum omnis generis fere mala in his, quæ eo laborarunt, apparuiſſe, communis Practicorum conſenſus teſtatur. Si enim in tranſitu tantum probatiſſimos conſiliorum & obſervationum Collectores, Horſtios, Plateros, Mercuriales, Poterios, Schenckios, Lodichios, Riverios, Zacutos, Salmuthos, Foreſtos, Gabelchoveros, alioſque ſalutauerimus, univerſum corporis ambitum fœrociæ hujus tyranni ſubjectum eſſe, & quasdam fœminas nunc partium omnium, nunc ſaltem aliquarum gravitate, laſſitudine & tumore œdematoſo, quasdam macie, artuum dolore, febribus inordinatis, melancholia, mœrore, ſcabie, cephalagia, eaque vel rodente, lancinante vel gravante, deinde vertigine, delirio, catalepſi, convulſionibus, paralyſi, aphonia, anxietate præcordiorum, difficili reſpiratione, cordis tremore, palpitatione, ſyncope, pulſu arteriarum impr. jugularium, modo parvo ac frequente, modo intenſo, & ſatis absque tactu conſpicuo, cardialgia, ventriculi imbecillitate, pica, faſtidio, nauſea, vomitu, ardore & inflatione, hypochondriorum, tumore hepatis, diarrhœa, alvi conſtipatione, colica, menſium ſuppreſſione, malo hyſterico, fœtore corporis plus minus affectas fuiſſe legimus.

§. V. Subjectum chloroſis *ut quod* eſt fœmina, neque enim viris in foro Medico unquam hunc affectum tributum legimus, quamvis, id ſine abſurditate fieri poſſe, ex eo pateat, quod ubi non uterus aut proſtatæ ſimul in ſequiori laborant, eadem, quæ in virorum cachexia occurrunt, phœnomena conſpiciantur, nec in medendi methodo peculiaris diſcrepantia obſervetur. *Subjectum quo* in quantum oculis ſubjicitur, eſt corporis habitus externus, impr. faciei, is enim ſtricte chloroſi i. e. virore, livore, pallore, & in grata flavedine inquinari dicitur. Præter hunc autem, & internas partes male affici, ex ſymptomatum multitudine patefcit.

 §. VI.

§. VI. Subjectum causæ *proximius*, est massa sanguinea, in concreto spectata, ut reliquos humores utiles quoque sub se complectatur; dum commodam hi peregrinis salibus suscipiendis sedem præbere, & vitia in universum corpus dispensare aptissimi sint, multisque modis quantitatis & qualitatis respectu præter naturæ ordinem constituti concurrere possint. *Remotius* sunt viscera nutritioni & generationi inservientia, ita quidem, ut frequentius ista focum mali & fomitem continere certum sit, ut ut maxima pars Practicorum ad uterum inclinet, & proinde passim in definitionibus suis, vasa uterina obstructa, mali sedem, ipsasque obstructiones inter causas allegare soleant. Quibus & isti annummerandi sunt, qui ad solas prostatas & glandulas vaginales sedem mali restringunt, harumque liquorem potissimum considerandum proponunt. Clarius hæc patebunt, si per causarum classes euntes, quid proxime noceat, quid ex longinquo lædat, distincte perspexerimus.

§. VII. Cum formalis ratio χλωρώτιδ@ in deturbata totius nutritione consistat, & neque sufficiente nectareo alimento solidæ partes irrigentur, (unde macie quasdam corrumpi videmus) neque id quod in larga satis quantitate in nonnullorum visceribus, vasis, atque sub cute hæret, (unde etiam tumido squalore misere turgentes occurrunt) homogeneum sit naturæ, neque proportionatum naturæ earum; ideo proximam & immediatam causam corruptioni materiæ nutribilis & copiæ crudorum humorum varie peccantium adscribere libet. Dum enim corpus debita nutritione defraudatur, labascunt vires, & virtus vitalis atque animalis minor fit, hinc crudus sanguis & minus digesta lympha male reguntur, coctiones viscerum turbantur, & passim stases ac motus irregulares partium fluidarum, solidarumque intrinsecæ & extrinsecæ alterationes emergunt.

§. VIII. Reponunt aquidem haud pauci, proximam mali culpam in obstructiones infimi ventris atque uteri, ex quibus antiquiores, circuli sanguinis nondum gnari, nocentissimam quandam sanguinis ex venis uteri clausis, ad partes nobiles regurgitationem deprædicabant; Noviores autem, ex denegata uteri purgatione, humorum cumulationem noxiam, oppressionem

nem viſcerum primariorum, & poſt multa perpeſſa infortunia; caloris vitalis ſuffocationem atque cachecticum corporis ſtatum deducunt. Verum, reſpectu regurgitationis, notior eſt veterum lapſus, quam ut prolixa emendatione indigeat; Ratione obſtructionis autem, hi una cum recentioribus in ordine peccant, dum eam, quæ tantum non ſemper effectus potius atque producti morboſi nomen meretur, nec, niſi in quibusdam caſibus, ubi per externas cauſas uterus obſtruitur, remotioris præternaturalis cauſæ indolem obtinet, in locum immediatæ evehere audent.

§. IX. *Mediata proximior*, in vitiata chylificatione, & inde minus recte procedente ſanguificatione, ſpirituumque omnis generis elaboratione, conſiſtit; cum elogio Illuſtris Wedelii, Patroni & Præceptoris mei ad urnam venerandi, qualis Chylus, talis ſanguis, qualis ſanguis, talis ſpiritus, functionesque in univerſo corpore eſſe ſoleant, nec ni vulgatisſimi Medicorum axiomatis vitia primæ coctionis in ſecunda & tertia correctionem admittant, liquet omnium maxime nutritionis vitia & pravorum humorum φύσιν, ex perverſa ciborum elaboratione, neglectave chyli depuratione derivari. Si enim chylum plus minus viſcidum, acrem, auſterum conceperimus, deprehendimus, eum, pro diverſitate ſubjectorum ac temperaturarum, nec non præſentia aliorum humorum, ac diſpoſitione bilis, ſucci pancreatici, lymphæque glandularum inteſtinalium in primis viis ſubinde cardialgiam, anxietatem, vomitus, appetitum depravatum, roſiones inteſtinorum, flatus, levitates & conſtipationes alvi, pluraque alia hypochondriacis & hyſtericis familiaria mala excitare; Cordi autem & vaſis illarum fibrillas partium ſenſiles rodendo, vellicando, criſpando, ſanguinemque & lympham nunc fundendo & exagitando, nunc inviſcando & coagulando, eorumque balſamicas nutritioni aptas moleculas deſtruendo eorum omnium quæ ſupra §. IV. enarravimus ſymptomata, & adhuc plurium auctorem exiſtere.

§. X. Inter cauſas *remotiores*, occurrit temperamentum, ſi illud phlegmaticum fuerit, & ægra ſanguinis craſin pituitoſam, & parum ſulphuream, ac ſale volatili turgidam obtinuerit, unde coctiones omnes ſegnius procedunt, nec aliunde à cauſis frigidis illatæ injuriæ & humoribus inducta vitia tam facile corriguntur. Ob-

noxia sunt ejusmodi subjecta variis obstructionibus, nec rarescit bene aut floridus fit sanguis, nec etiam prompte intrat vasa cutis subtilissima, genasque roseo colore pingit, aut stagnans in iis corrumpitur & varios colores, viridem, citrinum, lividum, quales in sugillatis visuntur, induit, unde, cum qualis sanguis & humor in cute est, talis color quoque adesse soleat, ex istius absentia pallorem cutis, ex horum præsentia autem τὸ χρῶμα χλωρὸν derivare in proclive est.

§. XI. Ipse sexus quoque huc magis inclinare videtur. Ut ut enim inter masculos haud raro deprehendas, quos, si termino χλωρώσι@ abuti velles, eâdem affectos pronunciare queas; habent tamen ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ fœminæ habitum corporis laxiorem, & sanguinis texturam minus firmam, prompteque alterabilem, nec adeo acri ut plurimum calore pollent, quin pori minores ipsis tribuuntur, qui ventilationi sanguinis obstant, & cruditatibus velificantur. Unde & humoribus magis scatent, ut eorum per uterum expurgatione indigeant. Impr. autem, pulchriores hoc malum frequentius invadere, communis est opinio, vel, quod in his mutatio faciei & recessus à pristina εὐχροίᾳ evidentior fit, in deformibus contra & nigrioribus non æque attendatur, vel quod ejusmodi fœminæ temperamento ad summam quasi ἀκμὴν evecto, & simul corpore molli ac tenello gaudentes, ægrè in iisdem terminis consistant, sed in utrumque latus facile deflectere queant. Ut de naturali impotentia nihil dicamus, cujus culpa animi affectibus sequior sexus magis obtemperat, nec circa reliquas res non naturales appetitum bene regere valet.

§. XII. Ratione ætatis, ne juniores quidem & impuberes, nec provectiores & vetulæ, à cachexia immunes sunt; istæ tamen, quæ in mediis versantur annis, præ reliquis huic malo idoneæ videntur, non solum, quod eo tempore omnia turgeant, & peccandi occasio atque licentia major existat, sed etiam, quod variis mensium mutationibus expositæ, nisi errores juventutis caveant, facile in χλώρωσιν incidere possunt.

§. XIII. Potissimæ autem partes rebus non naturalibus tribuendæ sunt, è quibus aëris frigiditas inclementissime mulierculas sanguinem condensando, & exspirationem insensibilem remo-

morando, excipere ſolet. Cum enim acida & frigida nervis inimica cenſeantur, impr. uteri refrigeratio noxia erit, unde catameniorum fluxu laborantes, ſi aquæ gelidæ immorantur, aut veſtibus non bene opertæ, ventoſæ & pluviæ tempeſtati ſe committunt, eorundem ſuppreſſione & tandem cachexia ejusmodi muliebri ſubjiciuntur.

§. XIV. Par ratio eſt potus, frigidi, præcipue, ſi ventriculo à motu nimio probe excalefacto ingeritur, quippe infinita in utroque ſexu eorum exempla proſtant, qui cathexiam inde ſibi & immedicabilem hydropem conciliavere. Longum eſſet ex practicis hiſtorias earum recitare, quæ poſt diuturniores ſaltationes frigido hauſtu ſitim levaturæ ad brevem voluptatem longas chloroſis moleſtias ſufferrre coactæ fuerunt. Quæ cereviſiis craſſis, vinis novis, nondum defæcatis, auſteris, nec non ſpiritibus per fermentationem paratis aut aceto crebrius utuntur, magnam malo huic feneſtram aperiunt. Ciborum nimiam quantitatem, utut optimi illi fuerint, noxiam eſſe, niſi quotidiana experientia doceret, id ex Hippoc. tamen innoteſceret, qui Aphor. 17. ſ. 2. expreſſe dicit: Ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων εἰσέλθῃ τοῦτο νοῦσον ποιέειν, ubi cibus per naturam copioſior ingreſſus fuerit, id morbum facit. Qualitatis vitia tot ſunt, ut vix enumerari poſſint, ſolent enim hac in parte fœminæ viris guloſiores eſſe, adeo ut, ſi virilis ſexus aliquando circa largiorem potus aſſumptionem quid delinqnat, contra ea muliebris infinitis modis bonas regulas in ciborum uſurpatione obſervandas, transgrediatur. Tacemus petulantes illas formæ nimis ſtudentes puellas, quæ optimum à benigna natura datum corporis habitum, rubellumque faciei colorem ſibimetipſis invidentes, lilia magis in genis quam roſas amant, & ut pallorem ſibi concilient, creta, frumento crudo, atque gypſo veſcuntur, acetum potant, vel multa alia abſurda committunt, quibus fermentum ventriculi hebetant, tonum ejusmodi invertunt, ſanguinem, viſcidum, craſſum reddunt, donec cachecticum corporis ſtatum adeptæ, horrendam pallidæ mortis imaginem referant.

§. XV. Sed de iſtis potius ſermo nobis eſt, quæ elegantiæ parum curioſæ, ut intempeſtivo appetitui ſatisfaciant, ſacchara-

 tis

tis, mellitis, pinguibus, placentis, pepanis, melitomatis, lacticiniis, præterea fructibus horræis, cibis duris & mali ſucci, carnibus ſalitis; fumo ſiccatis, cucumeribus, braſſica muriatica, piſcibus vilioribus, limoſis aliisque gulæ irritamentis inhiant, eaque ſine ordine, ſine ſelectu ingerunt, & chylum peſſimæ notæ inde conficiunt. Præ reliquis autem de cacochymia & chloroſi conqueruntur, quæ peſſimam plebis conſuetudinem ſecutæ panem ex clibano recentisſime extractum, multo butyro illitum, avide devorant, dum ſæpiſſime inde menſes ſibi ſupprimi ſentiunt. Quale exemplum in Colleg. M. S. Practico Excell. Slevogtii Patroni atque Præceptoris mei honoratisſimi invenio, ubi molitoris uxor cum ab eſu panis calidi dolore gravativo correpta, hauſtu aceti ſibi ſuccurrere conaretur, per aliquot dies anorexia, hinc accedentibns aliis diætæ erroribus, menſium fluxum imminutum habuit, & mox graviſſimam χλώρωσιν incurrit.

§. XVI. Sicuti à motu nimio ſpiritus per ſudores & effluvia ſicca disſipantur, per vigilias continuatas abſumuntur, unde ſtomachus labefactatur, crudi humores exagitantur & acriores fiunt, viresque dejiciuntur, ita per diuturniorem quietem & ſomnum largiorem indies fœminas ſqualidum corpus ſibi contrahere videmus, dum nimium ſedendo chyli atque ſanguinis localis motus tardior præcedit, ſpiritus torpent, humores vappeſcunt, & viſcidi redduntur, obſtructionumque & aliorum frigidorum morborum larga meſſis propullulat.

§. XVII. Quanta ſit animi affectuum, iræ, gaudii, terroris, timoris, mœſtitiæ, in ſanguine inordinatè commovendo, coagulando, ſpiritibus diſcutiendis, ſupprimendis, & quantæ inde turbæ ventriculo, cordi, cerebro, utero concitentur, ex natura iſtorum & infinitis exemplis patet. Omnium autem maxime ſummam amoris efficaciam eſſe videtur, cum & totum hominem afficiat, & diu duret, nec intermisſionem patiatur, & gravibus ſæpe aliis affectibus, potisſimum autem timore, ſpe, gaudio, mœrore, ira, deſiderio, zelotypia, invidia, animum miſere excruciet, unde mirum non eſt, mulieres, quæ ſe ſatis amabiles reputant, nec tamen amari credunt, aut ubi amatores habent, iis frui nequeunt, perpetuo ſpirituum motu, inquietudine & ſupra me-
mo-

moratis pathematibus agitari, coctiones turbare, cruditates cumulare, hinc uteri vitiis cacochymiæ, cachexiæ seu chlorosi, imo non nunquam melancholiæ, furori uterino & incorrigibili desperationi ansam suppeditare.

§. XVIII. Si denique alvus officium suum non facit, nec uteri purgamenta rite procedunt, aut sanguinis imminutio per V. Sm. olim instituta, aliæque evacuationes, quibus ante natura adsueta erat, cessant, exinde & concurrentibus aliis circumstantiis, facile tanquam ex remotiori occasione chlorosin originem habere, omni dubio caret. De mensium suppressione res notissima est, eaque frequentissime cachexiæ muliebris autor existit. Rarius contingit, ut à liquore isto ex prostatis & glandulis uterinis, coitus tempore excernendo inque salacioribus in modum pollutionis virilis per libidinosas cogitationes aut perfrictiones genitalium prolici solito, (quem olim communi sententia semen muliebre salutabant, cum ova, verum fœmineum semen constituentia, nondum ipsis innotuerint,) chlorosis oriatur. Oritur tamen, si diutius retinetur, ubi mora acrior factus, turgescentia sua non solum furores & varias passiones uterinas excitare, sed etiam si prorsus corrumpitur, totam sanguinis massam inficere & corpus cachecticum reddere valet.

§. XIX. Memorabile est, quod B. Etmullerus p. 22. *part. 3. prax.* ex Panarollo citat, qui fœminam tetano universi corporis & passione hysterica correptam, à superveniente uberiore seminis per aliquot dies profluvio restitutam vidit. Nec prætereundum, quod Celeberrimus Boyle de Virgine sensu tactus per universum corpus orbata, habet, quam repetito coitu curatam scribit. Quibus exemplis B. Etmullerus permotus, tantum liquori huic, quem passim seminalem vocat, in virginibus, viduis, & maritatis, quibus mariti minus satisfaciunt, retento, hinc fermentescenti & M. S. inquinanti tribuit, ut ex hoc solo veram & proprie sic dictam chlorosin dependere, eamque, quæ hoc fundamento careat, minime chlorosin, sed tantum cachexiam muliebrem nominandam esse statuat. Cui tamen si opus esset, ex prælaudati Doct. Slevogtii thesibus hoc reponi posset, (1.) humorem ex prostatis muliebribus, à Graefio descri-

ptis, & vagina profluentem præter meritum suum seminis, liquoris seminalis & quasi seminalis nomine dignari, sed simplici & magis genuina appellatione lympham aut liquorem potius glandularum uterinarum vocandum esse. Cum inter ipsum & ovula nullum prorsus commercium detur, nec ulla ratione ad conceptionem ac generationem concurrat, nisi quod in coitu vias lubricando, viri admissionem facilitet. (2.) Ex eo retento & corrupto subinde equidem malum hocce oriri posse, interim tamen nihil obstare, quo minus ex aliis quoque causis, solo hocce liquamine, inque iis, quæ de nullo coitus defectus conqueri necesse habent, fœminis vera chlorosis, cui omnia ista, quæ veteres ipsi tribuere, competunt, exsurgere queat. Ut proinde, (3.) cum unius rei variæ causæ esse possint, in affectibus humani corporis describendis non æque ob causæ, impr. remotæ, diversitatem, ex una specie morbi plures & diversæ fingi debeant.

§. XX. Sed missis hisce ad differentias progredimur, ubi equidem præter iam dicta nihil notatu dignum occurrit, nisi quod vulgo ratione graduum & subjecti in vehementem, inveteratam, universalem & mitiorem, recentem, ac certas tantum partes occupantem distinguatur. Restat igitur, ut, quomodo cognosci possit, & ab aliis morbis distingui, addamus.

§. XXI. Cum autem chlorosis, ut supra dictum, non simplex, sed maxime compositus affectus sit, ideo vix ex unico, eoque pathognomonico signo cognoscitur, sed ex pluribus, collective sumptis detegendus venit, quamvis enim nonnulli colorem totius lividum, plumbeum ex viridi luteum cum faciei crurumque tumore in scenam producant, ea tamen talia non sunt, quæ ex asse satisfaciant, cum hæc cujuscunque cachexiæ indicia esse queant. Sunt igitur & reliqua symptomata, quæ in definitione actiones principes afficere diximus, una cum iis, quæ excreta & retenta mutatasque qualitates attinent, & ibidem in magno numero consignavimus, recensenda, ex quorum sylloge demum firmius de præsentia affectus judicium formari potest. In causarum autem subjecto an primæ sc. viæ, an uterus, an solæ prostatæ laborent, Medicum præcipue curiosum esse decet, ut quomodo curationem ordiri debeat, probe noscat: Singula illi manifesta

fiunt,

fiunt, si præter relata, ægrotæ mores, ejusque vitæ genus sedulo secum perpenderit, ita ex. gr. ad primas potissimum vias respiciendum esse concludet, si puellam netricem tempore autumni cibis mali succi, uvis, potu musti usam fuisse audierit: Uterum primario in ista affici dicet, quæ tempore fluxus mensium inchoati se graviter perterritam aut in aqua frigida commoratam esse refert: Prostatas laborare cognoscet, si malum citra diætæ aut mensium errorem puellam nubilem, viduam juvenculam, aut uxorem salacem, succi plenam viro debili, seni, moroso junctam, molliter & laute viventem corripuerit, si virgo quæ in consortio juvenum ante petulans & hilaris videbatur, nunc sine istis aliquandiu sola vivere coacta ab alia causa manifesta tristis, anxia, suspiriosa &c. evadat.

§. XXII. Quod signa distinctiva attinet, dantur equidem inter simplicem cachexiam & chlorosin, quæ absque uteri vitio contingit, eorum fere nulla, quæ vero à mensibus suppressis vel liquore prostatico initium habet, aut istis sociatur, ob ipsam hanc circumstantiam considerationem postulat peculiarem. Inter icterum album, per quem chlorosin intelligi supra monuimus & flavum atque nigrum, ratione subjecti externi, cutis, sc. ejusque deformationis aliqua equidem paritas invenitur, differunt autem insigniter, si reliqua in singulis occurentia phœnomena nec non origines atque causas consideramus.

V. XXIII. Si de eventu morbi ratione salutis & mortis aliquid dicere animus fuerit, in genere equidem & absolute lethalis non est. Quod si tamen altiores egerit radices, curatio difficilior procedit. Hinc primo omnium ad originem & deinde ad multitudinem symptomatum respiciendum est. Omnium levissima enim est Chlorosis, quæ à solis prostatis oritur, quia plerumque per conjugium tollitur. Huic succedit, quæ menses per externam causam clausos sequitur, quia, ubi reliqua adhuc mediocriter constituta sunt, nec reseratio istorum tam ægrè, quam ubi per internas causas suppressi sunt, procedit, hisce reseratis quoque cessat. Gravissima est, quæ à viscerum, primæ & secundæ coctioni inservientium, præternaturali statu excitatur, & perfectæ cachexiæ indolem gerit, nam hoc pacto non tantum autore Ægi-

netta ἀρχὴν τ̃ ὑδροπικῶν παθῶν, principium hydropicorum passionum, seo aliorum etiam lethalium morborum prodromus esse solet.

§. XXIV. Ratione durationis, omnis chlorosis chronica est, brevissima tamen prostatica est, longissima visceralis. In hac leti eventus signa sunt reditus virum impr. facultatis naturalis, quia & reliquæ inde robur suum expectant: Cum uterinam mensium fluxus levet, eruptio eorum optimum sanitatis signum præbet. Quod si in prostatis affectis natura sponte vel medicamentis adjuta fluorem album instituat, res expedita est. Quod si vero contrarium horum omnium contingat, & præterea color cutis ad nigrorem vergat, aut suffocatio uterina, motus convulsivi, lethargus, apoplexia, furor, atrophia vel phthisis, hydrops superveniant, spem omnem abjiciendam esse, arbitramur.

CAPUT II.

§. XXV.

Postquam itaque, quæ ad theoriam hujus affectus pertinent, pro ratione instituti breviter perlustravimus, reliquum est, ut quibus modis præsens chlorosis auferatur, imminenti autem & futuræ obices ponantur & aditus occludatur, adjiciamus. Hoc commode fieri potest juxta medendi methodi regulas & indicationis curatoriæ manuductionem, affectum illum causasque propinquiores removendo, nec non symptomatibus urgentibus satisfaciendo, nutritionem scil. depravatam restaurando, & id propter nunc obstructiones viscerum, hepatis, lienis, mesenterii, uteri, prostatarum reserando, earumque causas sanguinis & lymphæ visciditatem emendando, nunc qualitates peregrinas, & si quid austeri, acris, humoribus inhæserit, corrigendo; Deinde secundum præservatoriam indicationem causis remotioribus obviam eundo, & tandem ex præscipto vitalis per commotam diætam, & apta medicamenta robori naturæ, tonoque viscerum prospiciendo. Ubi triplici auxiliorum fonte

fonte opus habemus, quorum *primus Chirurgicus* V. S. monstrat, cujus, cum ingens inter remedia evacuantia dignitas sit, & facilis quoque circa ejus applicationem lapsus eveniat, merito an & quo tempore in præsente affectu locum habeat, disquirendum est. Improbat eam Hildanus & Ballonius, nec in corpore cacochymico thesaurum vitæ auferendum & sedem caloris vitalis imminuendam esse, scribunt, quibus ingens modernorum turba, sanguinis missionem inter crudelia inque perniciem generis humani excogitata remedia referens, assurgit: Verum, cum tanta sæpe humorum copia in vasis fluat, ut regi nequeat ac metus sit, ne ab accedentibus medicamentis incidentibus & resolventibus cum impetu per insuetas vias natura eruptionem tentet, in specie vero, circa uterum adeo firmiter in cuneatus hæret sanguis, ut nisi ventilatio adhibeatur & revulsio aliqualis imminentis ponderis, nulla mensium reclusio sperari queat, idcirco in principio atque personis juvenibus, plethoricis, aut largiter aliàs per uterum purgatis, nunc vero catameniorum obstructione afflictis, impr. si hæc à terrore, & refrigeratione orta fuerit, inque aliarum circumstantiarum præsentia V. Sm. moderatam & repetitam potius quam unica vice largiorem commendamus, ut per circulationem restauratam spiritus suppressi suscitentur, & ulterioribus præveniatur obstructionibus.

§. XXVI. Scarificationes uti notabiliter sanguinis copiam imminuunt, ita egregie quoque pro revulsorio scopo adhiberi queunt, ubi ad unam magis partem cum ægrotæ incommodo affluxus fuerit observatus.

§. XXVII. Optimæ sunt frictiones, per eas enim pori aperiuntur & humoribus subcutaneis superfluis resolutis atque attenuatis exitus paratur, simulque in vicinis vasis hærens, & lentus sanguinis motus hoc pacto protruditur, calorque nativus insigniter suscitatur. Nec vesicatoris, fonticulis, setaceis carere possumus, si graviora nonnulla capitis aut artuum pathemata eorum usum postulaverint.

§. XXVIII. *Fons Pharmaceuticus* suppeditat pro interno usu præparantia, evacuantia, alterantia, pro externo, injectiones, balnea, suffitus & similia, quorum omnium ita habenda est ratio, ut

cum

cum selectu prudenter adhibeantur. Cum enim non una chlorosis conditio sit, & alia cum simplici cachexia conveniat, alia menses obstructos habeat junctos, alia denique à prostatis malè affectis dependeat, & harum specierum in hoc vel illo subjecto promiscua combinatio, majorque vel minor à statu naturali recessus reperiatur, patet, non omnibus omnia convenire, sed ex larga remediorum penu ea, quæ singulis conveniunt, seligenda esse. In genere ubi crasis sanguinis & humorum in primis viis viscosior est, & pituita in frigidis ejusmodi affectibus luxuriare solet, aut acor p. n. in ventriculo hæret, aut quibus necessaria cruditatum expurgatio remoratur, per incidentia, absorbentia, quæ digestiva vulgo audiunt, debita præparatio antecedere debet.

§. XXIX. Sunt talia rad. 5. aperient. cichor. ari, bryon. helen. cort. cappar. tamarisc. fraxin. violar. sem. anis. fænic. dauc. lig. guajac. sassafr. &c. ex quibus infusa, decocta, pulveres & alia genio ægrotæ arridentia parari possunt. His accedunt Tartarea, v. g. tartar. vitriolatus, tartarisatus, chalybeatus, Terr. fol. impr. vero martialia omnem absolvunt paginam, cum in præparandi æque ac alterandi, aperiendi & absorbendi negotio egregia sint, & diffusissimas eorum laudes passim apud Auctores legere liceat, præcipue autem croc. mart. aperit. saccharin. vitriol. mart. huc pertinent; nec salia alcalia quoque prætermitti debent, sola vel cum aliis in refracta dosi mixta. Quo etiam liquida pertinent: Essentiæ scil. ex vegetabilibus supra relatis paratæ; tinct. tart. antimon. tartaris. mart. pomat. Zwelff. arcan. tart. elix. propriet. s. & cum acido, antiscorbuticum.

§. XXX. Purgantia sunt vel lenientia, vel fortius ἄνω ac κάτω operantia, & utrorumque pro naturam diversitate amplissimus usus est. Ex istis laudabimus aloetica, sennam, rhabarbaram, cassiam, ex quibus pilulæ, infusa, & cum additione passularum, rad. polypod. sir. rosar. solut. decoct. concinnantur, egregiæ hoc in passu sunt pil. tartareæ Schrœd. quercet. aloöticæ, de hier. pier. Francofurt. Glassianæ, Ludovici, in tract. d. salis tartar. volatilisat. descriptæ.

§. XXXI. Inter purgantia fortiora merito locum hic habent jalappa, scammonium, colocynthis, quam in reserandis

pro-

profundioribus viſcerum oppilationibus non pauci cum elogio commendant: Gratior tamen eſt mercurii dulc. uſus ſi cum ſagapeno & ammoniaco in pilulas redigitur: Cui hellebori nigri extractum addi poſſet, cum ei ſingulare quid in ejusmodi affectibus tribui conſtet.

§. XXXII. Ex vomitoriis præſtat pauca, eaque ſelecta & multo uſu hactenus comprobata, inque minori doſi ſufficienter operantia adhibere, inter quæ tart. emet. à gr. ij. ad iij. hocque paulo validius agens mercur. vit. reliquis omnibus præferri debent. Succedunt infuſum vitr. antimonii & vitriol. alb. a. gilla, quibus tamen, ubi biga modo dictorum antimonialium ſuppetierit, carere poſſumus.

§. XXXIII. Reprobant equidem nonnulli vomitoriorum uſum, quod corpus admodum concutiant; proſternant, tonum viſcerum invertant, nec ad locum affectum penetrent, ſed in ventriculo ſolo quaſi operare videantur. Quibus reponimus concusſionem moderatam nihil nocere, ubi à lentis humoribus ſtagnatio metuenda eſt, nec virium aut viſcerum peſſundationem à doſi proportionata ſequi, & quamvis ipſum medicamentum ad uterum & remotiores corporis angulos non accedat, ſummopere tamen primarum viarum repurgationem ſequentium medicamentorum energiam adjuvare, imo haud raro à ſolo emetico probe operante, pertinaciſſimam menſium emanſionem reſtitutam fuiſſe, experientia docuit.

§. XXXIV. Poſtquam hoc modo ſaburra vitioſorum humorum eliminata eſt, rectius nunc ad ea, quæ virtute ſua aromatica, balſamica, abſorbente, incidente, attenuante, coctiones ſtabiliunt, ſanguinis principia activa augent, ſalia peregrina invertunt, obſtructiones expediunt, & humoribus debitum motum reddunt, idque, quod noxium aut ſuperfluum eſſe poteſt, per poros cutis & renes expellunt. Talia ſunt, quæ communiter alterantia & ſpecifica, anticachectica, uterina vocantur, quibus diaphoretica inſuper atque diuretica adjunguntur. Ex quibus pauca in præſenti in medium producemus.

§. XXXV. Sint ita ex prima claſſe, crocus, zedoar. maces, coſtus, abſynthium, lamium fl. albo, ſalvia, ſabina, marrubium

alb. artemisia, calendula, rosmarinus, bacc. laur. myrrh. galban. sagapen. succinum castoreum, cinnabarina, martialia. Inter diaphoretica conveniunt tam volatilia: balsamica, spir. C. C. Tinct. bez. Liq. C. C. succin. volatilia oleosa, stomachica, uterina, quam fixa: antimon. diaph. antimon. martial. Ludov. bez. jovial. Mynſ. Ex diureticis laudantur terebinthinatha, sp. tart., sal. ammoniac. aperitiv. Penoti, Tart. vitriolat. arcan. dupl. borrax, fl. sal. ammoniac. quorum virtus in fundendis humoribus & per urinam educendis, præmissis præmittendis, admod. salutaris deprehendi solet.

XXXVI. Quibus tonus ventriculi firmior obtigit, & calorem vitalem nativum nondum prorsus suppressum habent, cum successu ad acidulas confugere queunt, sed minori cum periculo thermas bibent, quia hæ satis potenter per omnia emunctoria agunt, & simul actuali suo calore languentes coctiones restaurant, stagnantesque humores propellunt, qua ratione etiam inter externa primarium locum merentur, iisque balnea ex decoctis herbarum uterinarum, & nervinarum melissa, matricaria, artemisia, sabina, lauro, fl. cheir. chamom. rom. melilot. alb. hormino facta, substituuntur. Huc pertinent etiam fotus, quos prædicta simplicia ingrediuntur; aut suasu Hartmanni vapor à scoriis reguli antimon. in aq. simpl. vel brodio herbarum emmenagogarum solutis & lapidi candenti infusis, per metrenchytem vaginæ immittitur, unde non solum uteri, sed potissimum etiam prostatarum glandulæ irritantur, ut contentum liquorem reddant.

§. XXXVII. Nec pessi inutiles essent, si tales virginibus commendare pudor permitteret. Suademus potius, ut si possunt, viro maturè nubant, aut si conjugatas chlorosis à liquore prostatico retento occupaverit, ut decenter maritum debiti sui conjugalis admoneant, eumque in prælium vocent; Unicum enim & tutissimum remedium in coitu consistere unanimis autorum consensus testatur.

CA-

CAPVT III.

§. XXXVIII.

Restat adhuc *Fons diæteticus*, cujus præcepta uti omnibus, qui bene & sine morbis vivere cupiunt, summa diligentia sunt observanda, ita omnium maxime cachecticis mulieribus curæ esse debent, ne quantum Medicus illis exquisitissimis remediis prodesse studet, ipse tantum supinâ suâ, circa sex rerum non naturalium usum, negligentiâ iterum destruant. Facile autem, quid agendum hoc loco, quidve omittendum sit, patebit, modo iis, quæ inter causas remotiores allata sunt, & quomodo diætæ vitia nocere queant, sedulo attentatur.

§. XLIX. Eligendus igitur aër serenus, siccior, & ad calidum vergens, vitantus, qui contraria modo se habet, unde vestitu vel igne corrigi debent. Cibi nisi bene coquantur, & recrementa deponantur, locum non habent, unde quid de durioribus fumo induratis aut muriaticis carnibus, oleribus quoque & iis, qui vel fermentationibus in primis viis ansam præbent, aut in debili ventriculo facile corrumpuntur, sentiendum sit, haud ægrè innotescit. Potus sit cerevisia defœcata, aut quæ vinum ferre possunt, illud generosum eligant, quod verô acerbius est, æque ac acetum illud prorsus exulet. Motus & vigiliæ, quies & somnus sit moderatus. Nocet mœror, ut & terror, omnisque ira est coërcenda. Cæterum, æquo potius animo sua mala ferat ægra, & meliora sperando præsentis ægritudinis acerbitatem leniat, impr. circa amorem, nisi reciprocum certo sibi polliceri queat, sit temperatissima, cum amare, nec amari tamen miserrimum sit. Tandem id quoque agat, ut alvus & vesica officium suum faciant, sique aliis excretionibus assueta fuerit, ne ista supprimantur, curet, vivens memor Ovidii:

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut vitium capiant, ni moveantur aquæ.

Tantum in

SOLIUS DEI GLORIAM.